

eensuræ, non incongrue iudicamus, eas breviter explanare, ne candidati ignorent earum significationem, & qualitatem. Notari tamen oportet, quod solum loquimur de propositione objectiva, & prout est in se, non de subjectiva, & formali, quæ ex intentione, errore, aut aliis circumstantiis proferentis pendet; cuius examen pertinet ad superiores.

164. *Propositio hæretica* est, quæ immediate contradicit veritati fidei: ut hæc: *Christus non est Deus*; aut *Christus non est homo*.

165. *Hæresi proxima* est, quæ habet affinitatem cum hæretica, & mediate oppositur veritati fidei, & est eadem cum ertonea: Ut hæc: *Christus non est risibilis*.

166. *Propositio errori proxima* est, quæ opponitur veritati deductæ ex principio fidei per consequentiam, non evidenter metaphysice, sed moraliter certam: ut hæc: *Parvulis in baptismo non infunditur gratia intrinsece inherens*: cuius oppositum est certum moraliter ex Tridentino, asserente justificationem impii non fieri per solum favorem extrinsecum.

167. *Sapiens hæresim* est, quæ licet manifeste non indicet hæresim, affert tamen ejus factorem ob convenientiam in vocibus, aut circumstantiis proferentis cum hæreticis; ut *fides justificat*; quæ Lutherum sapit. *Christus est creatura*, quæ redolet Arianismum, Lutherus enim contendit, quod sola fides justificat; Arius autem, quod persona Christi est creata.

168. *Suspecta de hæresi* est, quæ in sua prolotione hæresis suspicionem generat; ut propositiones supradictæ, vel dicere aliquos *Papas fuisse superbos, simoniacos, & tyrannicos*: quæ est suspecta, simulque injuriosa.

169. *Male sonans* est, quæ habet sensum congruentem, verbis vero incongruentibus prolotionem, ut *Deus habet multas essentias*, intelligendo attributa, & relationes: vel dicere: *licitum est tollere aliena*; *licitum est occidere*, intelligendo in extrema necessitate, & auctoritate publica.

170. *Piarum aurium offensiva* est, quæ licet verum dicat, opponitur tamen reverentiæ debitæ personis, aut rebus sa-

cris; ut *communione frequentem plus obesse, quam prodesse*; *orationes vocales plebiumque esse inutiles*; vel *aliquos sanctos fuisse adulteros*.

171. *Blasphema* est, quæ contumeliam irrogat Deo, aut sanctis, sive hæreticis sit, sive non. Ut *Deus est injustus*; vel *per vitam Dei*. Similiter est blasphemata propositio, tribuens creaturis, quod est proprium Dei; ut *primus Angelus creavit ceteros Angelos, & similes*.

172. *Temeraria* potest esse, aut negative; aut positive. *Temeraria negative* est, quæ aliquid affirmat sine fundamento, ut *Pater æternus flet homo*. *Temeraria positive* est, quæ opponitur communi sensui Theologorum; ut *beata Virgo non est in caelos assumpta in corpore*, aut *magnus Elias mortuus fuit*.

173. *Scandalosa* est, quæ licet verum enunciet, occasionem autem ruinae audientibus ingerit: ut *fornicatio non est maximum peccatum, Deus illud facillime remittit*. *Periculosa* fere coincidit cum præcedenti, & est, quæ in materia morum generaliter licere asserit, quod raro licite fieri contingit: *hominem posse cum femina in eodem lecto recumbere*. Vel *quod potest aliquis esse perfectus sine mortificatione corporali*.

174. *Impia*, quæ minuit cultum Dei, & sanctorum, pietatemque parentibus, & Superioribus debitam: vel quælibet propositio contra statum ecclesiasticum, aut religiosum, ut *clericatus, aut monachatus non est status pietatis*.

175. *Seditiosa* est, quæ excitat rebellionem, aut inobedientiam contra Principes, vel tumultus in republica, aut discordias inter Episcopos, vel inter sacras religiones: ut *Princeps tyrannus potest licite a subditis occidi*. *Nullus est dominus civilis, dum est in peccato mortali*. *Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corripere*.

176. *Schismatica* est, quæ aliquid docet contra unitatem servandam inter Ecclesie membra, & ejus caput, quod est summus Pontifex: ut *electio presentis Papæ est dubia*. *Ipsi non est obediendum*. *Appellari potest de ipso ad alium de novo eligendum*. *Romani Pontificis Monarchia post D. Hieronimi tempus exorta est*. *Tenendum est, quod quædam peculiariis Eccle-*

cle-

clesia docet de auctoritate Papæ, non quod Italica, aut Hispana.

177. *Injuriosa* est, quæ profertur contra aliquam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, vel contra aliquem peculiarem statum, vel familiam religiosam, ut *si de Cardinalibus*, aut *Episcopis convitia predicaret, aut scriberet, vel affirmaret religiosos mendicantes esse otiosos in Ecclesia, aut manducare labores alienos*. *D. Thomam habuisse plures errores, & idem de sanctis Patribus*.

178. *Perniciosa* est, quæ fidelibus nocere potest, minuendo media ad salutem, & perfectionem pertinentia, ut *qui parvipendit jejunia ecclesiastica, & officia mortificationis*.

179. *Seulta, aut insana* est, quæ in sua prolotione utitur verbis bardis, aut rusticis: ut *mille muli non sufficerent ad portandum codices, quibus sanctitas virginis scriberetur*.

180. *Improbabilis* dicitur propositio, quæ caret sufficienti fundamento: hæc autem, sicut & præcedens non est censura proprie theologica, licet aliquando inferat non levem injuriam auctori illius, quia non semel aspicimus appellari improbabilem propositionem, seu opinionem non destitutam omni ratione, & fundamento.

## TRACTATUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

### DE DOCTRINA CHRISTIANA.

#### CAPUT I.

##### Notio doctrinae christianæ.

CUM ecclesiastici pleniori aliis notitia de rudimentis, ac mysteriis fidei pollere debeant: ideo pro coronide totius operis opportunum ducimus tractatum peculiarem instituire de doctrina christiana, quam ex variis Authoribus concinatam, simul cum quibusdam speciebus scholasticis, & dogmaticis pro candidatis lubenter tradimus.

181. Denique propositio maledica, aut contumeliosa, & infamatio reducit ad seditiosam, & injuriosam. Phantastica, vana, & præsumptuosa ad temerariam. Superstitiosa, ac adversiva reducit ad scandalosam, & periculosam. Adverte, quod eadem propositio potest affici una, vel pluribus censuris ex supradictis. Ut hæc: *Deus est injustus*. Est hæretica, blasphemata, impia, male sonans, & piarum aurium offensiva.

182. Inq. An sit obnoxius peccati, vel censuram mereatur, qui defendens propriam sententiam, censurat alienam, ut improbabilem? R. Quod si opposita sententia est probabilis juxta communem Theologorum, peccat, & censuram meretur: quia temerarium est improbare, quod ali communitè censent probabile. Si vero dubitatur de ejus probabilitate, qui plus æquo eam sugillat, licet non mereatur censuram; imprudentiæ tamen notam vix effugiet: cum alienum sit a viro prudenti aliorum scriptorum opinionem, & bonam existimationem labefactare. Patet veritas, sed media caritate, & prudentia. Multa verba excusarentur, si omnia fierent in caritate a majorem Dei gloriam.

183. Inq. Quid est Catechismus? R. Est instructio credendorum. Vel est instructio necessariorum, & conducentium ad salvationem hominum. Inq. Quæ sunt necessaria, & conducentia ad salvationem hominum? R. Sunt ea, quæ continentur in doctrina christiana? Inq. Quid est doctrina christiana? Resp. Est summa credendorum, & agendorum a christo Domino instituta ad hominum justificationem.

184. Inq. Quid est doctrina christiana? R. Est summa credendorum, & agendorum a christo Domino instituta ad hominum justificationem.

catio-

*cationem* Per verba a Christo Domino institutionem distinguitur doctrina christiana a doctrina antiqua hebraica; hæc enim data fuit a Deo Synagoge, illa vero Ecclesie a Christo Domino. Ad *hominum justificationem* denotat finem doctrinae, ejusque institutionis, nempe justificatio, & salvatio hominum. Has autem non doctrina Philosophorum, Turcarum, aut Paganorum, sed solum doctrina christiana vere ac sincere docet. Si autem doctrina ostendit esse vera ex hoc, quod consonat rationi rectæ, proculdubio doctrina christiana est: quia excogitabile non est doctrina, quæ magis consonet rectæ rationi sicut christiana, quæ homines interius, exteriusque retrahit ab omni peccato, & inducit ad sequelam omnis virtutis. Hæc autem excellentia nulli doctrinae convenit, nisi christiana, ut ipsis incredulis aperte patebit, si bene considerare, & meditari serio velint.

2. Inq. In quo convenit, & differt doctrina christiana a doctrina Hæbreis tradita? R. Convenit, & differt præcipue in duobus. Convenit enim in sanctitate, & fine; quia utraque doctrina est sancta, & utriusque finis est salvatio hominum. Differt etiam in duobus in authoritate, & tempore; author enim doctrinae est Christus, a quo perbelles dicitur christiana; pariter tempus ejus institutionis est a promulgatione Evangelii. Author vero, ac tempus doctrinae Hæbreis tradita fuit Deus, olim loquens Patribus in Prophetis. Christus Dominus noluit scribere suam doctrinam, tum propter excellentiam Magistri. Ob hanc rationem, ait D. Thom. Pythagoras, & Socrates nihil scribere voluerunt. Tum propter altitudinem doctrinae inquit Angelicus 3. p. 42. a. 4.

3. Inq. Decalogus pertinet ad doctrinam christianam? R. affirm. Quia non sufficit credere, ut perperam ajunt Lutherani, & Calvinistæ, sed requiritur agere, & operari in vinea Domini ad recipiendam mercedem. *Objic.* Decalogus datus est a Deo Hæbraico Populo, ergo non pertinet ad doctrinam christianam. R. neg. conseq. Quia Decalogus est lex divina, naturalis, & perpetua, sine cujus observatione nemo salutem consequi valet. Unde si vis ad vitam ingredi ser-

va mandata, dixit ipse institutor doctrinae christiana.

4. Inq. Quot sunt partes principales doctrinae christiana? R. Quatuor: prima docet ea, quæ sunt *credenda*, secunda, quæ sunt *oranda*, tertia, quæ sunt *operanda*, quarta, quæ sunt *recipienda*.

5. Inq. Scripsit Christus suam doctrinam? R. Non scripsit illam per se; scripsit vero eam per sua membra, nempe per Apostolos, eorumque successores, præsertim per summos Pontifices, qui sunt oracula veritatis. *Objic.* Lex vetus fuit a Deo scripta; ergo nova a Christo scribi debuisse videtur. R. neg. conseq. Quia lex vetus in figuris sensibilibus fuit data, ideo fuit conveniens scripto tradi; Lex autem nova utpote spiritualis non debuit scribi atramento; sed spiritu Dei vivi, ut ait D. Thom. loc. citat.

6. Inq. Es ne tu Christianus? R. Etiam per gratiam Dei. Inq. Cur dicis per gratiam Dei? R. Quia est magna Dei gratia, primo creasse me ex nihilo, secundo conservasse me usque ad baptismi receptionem: quod beneficium; tot gentibus negatum, mihi gratis concessit. Tertio est gratia incomparabilis illud recepisse inter Catholicos, & non inter tot hæreticos. Inq. Hæretici sunt Christiani? R. Utique; sunt tamen velut palea in area christiana sine fide vera. *Objic.* Hæretici fatentur Christum, & in eum credunt, ergo non palea, sed triticum sunt. R. Hæreticos credere in Christum fide humana, non divina; credunt enim non ex divina revelatione, ab Ecclesia proposita, sed ab ipsis conficta: Unde licet dicantur Christiani per baptismum, Christum tamen nec audiunt, nec sequuntur. Idem est de schismaticis, quia licet schisma non sit hæresis, est illi affine, & ut plurimum eidem adjungitur. Sunt insuper separati a capite visibili, quod est Papa.

7. Inq. Quid vult dicere Christianus? R. Homo Christi. Primo Antioquia sequaces Christi appellati fuere Christiani; antea dicebantur *orientales*, *fideles*, & *discipuli Christi*. Igitur sicut milites denominantur a Principe, cui obediunt, & discipuli a Magistro, quem audiunt, ita qui castra, & doctrinam Christi sequuntur, Christiani appellantur. Inq. Quid

intende-

ntelligitur pro homine Christi? R. Homo habens Christi fidem, quam professus est in baptismo, & est mancipatus ejus sancto servitio. *Objic.* Peccator in lethali est Christianus, & nihilominus non est servitio Christi mancipatus: ergo hoc non requiritur, ut quis sit Christianus. R. Disting. min. non est mancipatus radicaliter, seu habitualiter negotio. Non est mancipatus actualiter, vel exercite subdit. totaliter conc. partialiter neg. talis peccator dicatus est servitio Christi radicaliter, & habitualiter medio caractere, & habitu fidei, licet actu, & in exercitio non serviat Christo; qua ratione est malus Christianus. Differt multum ab hæretico, quia hic habet cristallum fidei penitus conflatum, ille vero velut coopertum ait S. THERESIA in ejus vita c. 30. n. 4.

## CAPUT II.

### De Signo Crucis.

8. Inq. Quale est signum Christiani? R. Est duplex, *internum*, quod est caractere baptismalis; & *externum* nempe sancta crux. Inq. Cur sancta Crux est signum Christiani? R. quia est vexillum nostræ redemptionis, & figura Christi crucifixi, qui in ea nos redemit. Unde ad conspectum Crucis convenit nos eam salutare dicendo: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redimisti mundum.* Adorari debet adoratione *latria*, ut diximus agentes de adoratione. Inq. quando coepit Crux publice adorari? R. tempore Constantini magni, qui publico edicto vetuit, ne quis deinceps puniretur supplicio crucis, quo, tamquam vilissimo genere mortis, plectebantur antea malefactores.

9. Inq. Cur Christus elegit sibi mortem Crucis? R. Primo, ut nobis daret exemplum humilitatis, obedientie, patientiæ, paupertatis, & caritatis; hæ enim virtutes maxime refulgunt in morte Crucis, quam pertulit, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *Humilitatis*, quia erat genus mortis ignominiosæ præ omnibus. *Obedientiæ*, quia factus est obediens usque ad mortem, *mortem autem Crucis. Philip. 2. Patientiæ,*

Tom. II.

quia erat mors acerbissima præ cæteris. *Paupertatis*, ut demonstrabat ejus omnimoda nuditas. *Caritatis*, quia si mori pro amicis est caritas major, mori etiam pro inimicis caritas est sine dubio maxima. Crux itaque est speculum virtutis, & omnis perfectionis, est pariter sapientiæ divinæ, & cathedra doctrinae christiana. *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam Cathedra fuit Magistri docentis*, ait S. August. tract. 119. in Joan.

10. Secundo voluit mori in Cruce, ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Dæmon enim, qui in primo ligno paradisi triumphavit de Adamo, divino consilio mansit victus in salutifero Crucis ligno.

11. Inq. Signum Crucis apparebit in die judicii? R. Utique apparebit in caelo; hoc est, in aere, quidam ceasent, quod ipsum lignum Crucis, in quo Christus pendit, portabitur ab Angelis ad majus solatium justorum, majusque tormentum iniquorum. Alii tenent, quod non ipsa Crux, sed signum ejus formatum ab Angelis apparebit ad eundem finem, velut trophæum victoriæ Christiani.

12. Inq. Quot modis utitur Christianus hoc signo? R. Duobus, hispane *signar*, & *santignar*. Primus modus est formare pollice manus dexteræ tres Cruces, primam in fronte, secundam in ore, tertiam in pectore, dicendo: *Per signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.* Inq. Cur te signas in fronte? R. Ut nos liberet Deus a malis cogitationibus. In ore, ut nos liberet a malis verbis. In pectore, ut nos liberet a pravis operibus, & desiderii. Nam quia peccatum cogitatione, verbo, & opere, petimus a Deo ab his malis, & inimicis liberari virtute sanctæ Crucis, qua munimur in fronte, ubi residet imaginatio, in ore, ubi efformantur verba, & in pectore, seu corde, unde exeunt desideria, & opera. Inq. Est laudabilis consuetudo efficiendi Cruces in ore, dum oscitamus? R. affirm. Quia licet Dæmones possint per quamlibet partem in corpus intrare, tamen per os sæpe intrasse non dubitatur.

13. Inq. Qualis est secundus modus uten-

Sss

uten-

utendi signo Crucis? R. Facere unam Crucem duplici digito dexteræ a fronte usque ad pectus, & ab humero sinistro usque ad dexterum, invocando sanctissimam Trinitatem. Inq. Quæ mysteria continentur in hoc modo signandi? R. In primis mysterium SS. Trinitatis; unitas enim essentia denotatur per verbum *in nomine*, & per cætera Trinitas Personarum. Deinde mysterium Incarnationis denotatur mystice in descensu Crucis a fronte in pectus, quo indicatur descensus Verbi divini in purissimum alvum sacratissimæ Virginis. Denique representatur expresse Passio Domini nostri: per quam translatus sumus de morte ad vitam, quod significatur in Crucis formatione ab humero sinistro ad dexterum. Sinistra enim denotat statum culpæ, & mortis; dextera vero statum gratiæ, & vite.

14. Inq. quando uti solet Christianus hoc modo signandi? R. Primo mane, dum surgit et lecto, de nocte, quando ad illum redit, ad exitum e domo, ad Ecclesiæ ingressum, ante prandium, & cenam, & in principio cujuslibet operis. De S. Ludovico Gallie Rege fertur, quod pluries in die se signabat. Interrogatusque, cur toties se signaret, respondit: *quia sic ab infantia docuit me Mater mea*. Current itaque Parochi suadere parentibus, ut idem doceant filios suos *ante omnem actum manus pingat Crucem*, ait S. Hieron. *Epist. 22. ad Eustoch.*

15. Inq. Quo fine utimur signo Crucis? R. Primo, ut secernamur a Judæis, Paganis tamquam milites Christi. Secundo ad implorandum divinum auxilium contra inimicos nostros. Tertio, ad compescendos, & debellandos Dæmones, qui ad conspectum sanctæ Crucis diffugiunt, quia in ipsa fuerunt victi. Inq. Adest obligatio sciendi se signare? R. Utiq; nec mereretur nomen Christiani, qui id ex negligentia ignoraret. Inq. Datur obligatio gravis sciendi doctrinam christianam? Resp. Ita plene, quia eam scire est medium necessarium, ut quis salvus fiat, ut constat ex symbolo S. Athanasii *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem*.

16. Inq. Quot debet scire Christianus, dum pervenit ad usum rationis? R. Quatuor, nempe quod debet credere, orare,

agere, & recipere: quia tres virtutes theologales sunt necessariæ ad salutem; sed fides exercetur credendo, spes orando, seu petendo, caritas operando, ad quæ omnia opus est auxiliis, quæ habentur sacramenta recipiendo, erg. Inq. Quomodo sciet Christianus illud, quod debet credere? R. Sciendo symbolum, vulgo *Credo* dictum, vel articulos fidei. Sciet, quid orare debet, sciendo orationem dominicam, & alias oraciones Ecclesiæ, Sciet, quid debet operari, sciendo præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, ac tandem sciendo septem sacramenta Ecclesiæ, sciet, quid debet recipere. Igitur credenda, oranda, operanda, & recipienda sunt quatuor partes principales doctrinæ christianæ, ut supra diximus.

## CAPUT III.

## De Symbolo fidei.

17. Inquiri: Quid est symbolum fidei? R. Est collectio principalium mysteriorum credendorum per fidem. Inq. Quot sunt symbola? R. Unum tantum quoad substantiam, plura quoad nomen; sicut Evangelium, est substantiaiter unum, licet quoad nomina, & aliquas expressiones adsint quatuor Evangelia; ita tria symbola communiter nominantur, nempe Apostolicum, Nicænum, & S. Athanasii, qui illud Romæ scripsit.

18. Dices: Ad sum. Pontif. unice atinet tradere fidei symbolum, erg. symbolum Athanasii non est symbolum fidei. R. neg. conseq. Quia S. Athanasius composuit symbolum per modum doctrinæ, quam ipse docebat; quando accusatus ab Arianis, Romam venit de sua doctrina rationem reddere: *Sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina continebat, auctoritate summi Pontificis est recepta, ut quasi regula fidei haberetur*, ait D. Thom. 2. 2. qu. 1. a. 10 ad 3.

19. Inq. Quis primo composuit symbolum fidei? R. Duodecim Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, & antequam dividerentur in varias Provincias: ut sic uniformiter prædicarent fidem, de eaque nos informarent. Inq. Cur nos illud dicimus? R. Ad continentium eandem fidem, quam Apostoli docue-

runt, faciendo de ea actus expressos. 20. Inq. Cur Ecclesia, & S. Athanasius composuerunt iterum symbolum? R. Ad refutandas hæreses, quæ diversis temporibus insurgabant. Unde in symbolo Nicæno reprobantur Arianus, in Constantinopolitano Macedoniani, in Calcedonensi Eutichiani, in Florentino Græci, negantes Spiritum sanctum procedere a Filio.

21. Dices: ergo adsunt plura symbola quam tria. R. conc. conseq. Quoad majorem explicationem: Nam *quælibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra, id quod præcedens synodus exposuerat propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis*, ait D. Th. ubi supra ad 2.

22. Inq. Cur symbolum Ecclesiæ canitur in Missa, Apostolorum vero submisce recitatur in prima? R. Quia illud conditum fuit, publice fide jam manifestata: alterum vero fide nondum publicata, inquit D. Thom. ibi. a. 9. ad 6. Inq. Cur symbolum Ecclesiæ canitur immediate post Evangelium? R. Quia est quedam expositio Evangelii, cui, cantando symbolum, assentiri, & credere confitemur, ait D. Thom. 3. p. 9. 83. a. 4. in corp.

23. Inq. Quot mysteria fidei continentur in Credo? R. Omnia implicite; explicite autem sexdecim, nempe quatuordecim articulos, & Sanctam Ecclesiam catholicam, & sanctorum communionem. Inq. Quomodo scire debemus Credo, aut articulos fidei? R. Omnes tenentur ea scire explicite sub gravi, saltem quoad substantiam. Ecclesiastici majori claritate, quam laici, Parochi, Confessarii, & Concionatores adhuc pleniori notitia, etiam quoad modum, & explicationem. Episcopi, & Doctores etiam quoad solvenda dubia, ita ut possint argumentis contra fidem respondere, ac plene satisfacere. Quod licet actu non valeant, debent id posse saltem aptitudine, studio, diligentia.

24. Inq. Cur nos regulariter utimur symbolo Apostolorum? Quia est originale, ex quo alia dimanarunt. Inq. Quo ordine Apostoli composuerunt symbolum? R. Ordine sequenti juxta Catechismum romanum.

Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.

Andreas: Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.

Joannes: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

Jacobus major: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Thomas: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Jacobus minor: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

Philippus: Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.

Bartholomeus: Credo in Spiritum sanctum.

Thaddeus: Sanctam Ecclesiam Catholicam sanctorum communionem.

Simon Zelotes: Remissionem peccatorum.

Matthæus: Carnis resurrectionem.

Matthias: Vitam æternam. Amen.

§. I.

Explicatur prima pars symboli

25. Inq. Quot partes habet symbolum? R. Duas: prima continet credenda de Deo, secunda docet credenda de Ecclesia. Inq. Quid vult dicere *credo*? R. *Firmiter teneo, pro certo habeo, ac velut de fide divina fateor omnia contenta in symbolo*. Inq. Veritates symboli, & aliæ de fide sunt certiores illis, quæ naturaliter scimus? R. sine dubio, quia veritates fidei sunt Ecclesiæ revelata a Deo, qui nec fallere, nec falli potest. Veritates autem humane, esto evidentes appareant, percipiuntur mediis potentiis, & sensibus, qui falli possunt, & non semel falluntur.

26. In Deum: denotat credi debere non solum Deo revelanti, & Deum esse, sed in Deum tamquam in ultimum finem. Objic. Qui graviter peccat, agit contra ultimum finem, ergo non credit in Deum, tamquam in ultimum finem. R. qui graviter peccat, & non contra

fidem, non agit assertive, sed effective contra ultimum finem; non enim asserit, nec credit aliam finem ultimum præter Deum.

27. Unum additum fuit ab Ecclesia ad extirpandam hæresim Manichæorum. Inq. Quid indicat ly *Patrem*? R. Quod in Deo est una Persona, quæ dicitur Pater, & est prima SS. Trinitatis, ideoque hic ponitur relative ante alias. Inq. Quo titulo est, & dicitur Pater? R. Titulo veræ generationis, quia vere generat filium. *Objic.* In oratione dominica per ly *Pater* intelligimus totam Trinitatem, ergo. R. quod ibi sumitur *Pater* absolute, petimus enim dari nobis, & dare est actio ad extra, quæ competit tribus personis: in præsentem vero explicatur Trinitas personarum, ad quod requiritur distinguere personas.

28. Inq. Quid denotat *Omnipotentem*? R. quot potens est faciendi omnia, quæcumque velit. *Objic.* Nequit peccare, mentiri, fallere, nec in se ipso mori, ergo non omnia potest. R. peccare, & similia non sunt potestas, aut perfectio, sed impotentia, & imperfectio, quæ Deo repugnant, taliter, quod si illa posset, non esset Deus. Inq. Cur dicitur Pater *omnipotens* potius, quam *omnia sciens*, aut aliud attributum? R. quia Patri specialiter attribuitur omnipotentia, & quia credendo, quod est omnipotens, facilius credimus cætera mysteria.

29. Inq. Quid denotat *creatorem cæli, & terræ*? R. Quod Deus creavit cælum, & terram ex nihilo. Creare enim est *facere aliquid ex non præsupposito subiecto*: Educere vero formare, aut generare est *facere aliquid ex præsupposito subiecto*. Deus autem creavit, hoc est, nullo præsupposito fecit cælum, & terram, ante quæ nihil erat: Inq. Cur dicitur creasse cælum, & terram, & non alia? R. quod per *cælum, & terram* intelliguntur omnia in eis contenta. Inq. Cur Ecclesia addidit *visibilem omnium, & invisibilem*? R. Ad extirpandam hæresim Manichæi, & aliorum, qui ponebant duo principia, aliud corporum, & Dæmonum, aliud spirituum bonorum, & alios errores circa creationem, quia solus Deus creavit omnia visibilia, & invisibilia. Mundum fuisse ab æterno est

hæreticum. Primum Angelum cæteros creasse, etiam est hæreticum, nam fides docet Deum in tempore creasse cælum, & terram, & cætera in eis contenta.

30. Inq. Creat nunc quidquam Deus? R. Creat animas racionales, cætera producit mediis causis secundis. Inq. Differt ne esse omnipotentem ab esse creatorem cæli, & terræ? R. Utrique: quia primum significat potentiam in Deo ad creandos alios cæcos, aliosque mundos, secundum autem indicat exercitium omnipotentia in creatione cæli, & terræ nunc existentium.

31. Inq. Quid denotat, & in *Jesus Christus* R. Dari in Deo aliam Personam, quæ homo facta, vocatur *Jesus Christus*: cui debemus credere, tamquam primæ veritati, & simul in eum, tamquam in ultimum finem. Verbum *Jesus Christus* est compositum ex *Jesus* & *Christus*. *Jesus* est nomen ejus proprium, & est idem, ac *Salvator*. Inq. A quo nos salvavit? R. A peccatis nostris, & a captivitate Dæmonis. *Christus* est nomen commune, idem significans, ac *unctus*. Inq. Quo fuit unctus? R. Gratias, & donis Spiritus sancti, tamquam Sacerdos sempiternus, Propheta, & Rex. Veteri quippe lege ungebantur Sacerdotes, Prophetæ, & Reges, & dicebantur *Christi Domini*. Nullus tamen unctus fuit sicut *Jesus*, in quo habitavit plenitudo Divinitatis spiritualiter, & corporaliter. *Jesus* igitur significat Deum humanatum; *Christus* autem hominem Deificatum.

32. Inq. Quando fuit unctus? R. In instanti suæ conceptionis in purissimo alvo Virginis Mariæ. Inq. Crevit in gratia, & sapientia? R. Non crevit *intensive*, sed *extensive*, vel quoad effectus, & in sapientia experimentaliter. Inq. Quis est *Jesus Christus*? R. Est filius Dei vivi, qui factus fuit homo, ut nos redimeret, & vitæ nobis daret exempla. Inq. Cur caput inclinamus ad nomen *Jesus*, plusquam ad nomen Patris, aut Spiritus sancti? R. Quia *Jesus* est nomen super omne nomen, & in recognitionem beneficii nostræ redemptionis. Inq. Ubi est *Jesus Christus*? R. In quantum Deus ubique; in quantum homo in cælo, & in sanctissimo sacramento.

33. *Filius ejus unicus* denotat, quod *Chris-*

Christus in quantum Deus est verus Dei Filius: quod impie negavit Arius. Dicitur *unicus*, quia Deus Pater unum tantum habet Filium naturalem. *Unus Filius*, non *tres Filii*, ait S. Athanasius. *Objic.* 1. Pater, & Filius communicant suam essentiam Spiritui sancto, ergo erit etiam Filius, & consequenter *Jesus* non erit unicus Patris Filius? R. dist. Communicant per *generationem* nego, per *impulsum vitalem*, conc. igitur Spiritus sanctus non est filius, quia non communicatur ei essentia divina ex vi processionis *formaliter*, sed *identice*, per amorem, via voluntatis, non via intellectus. *Objic.* 2. Justi sunt filii Dei, ergo. R. Justi sunt filii Dei non naturales, sed adoptivi. Non enim Pater communicat justis suam essentiam, sed suam gratiam, quæ est participatio essentia divine, & per quam filii Dei nominantur, & sunt media adoptione.

34. Inq. Christus est filius Dei adoptivus? R. Non: Quia adoptio est *assumptio personæ extraneæ in filium*, vel *nepotem*. Christus autem non est persona Patri extraneæ, sed filius naturalis. *Objic.* Christus habuit gratiam habitalem; sed hæc facit nos filios Dei adoptivos, ergo etiam Christus. R. neg. cons. Quia ut gratia Dei efficiat alique filium Dei adoptivum, debet connotare extraneitatem personæ, quam non connotat in Christo.

35. *Dominum nostrum*: denotat, quod Christus gaudet super nos perfectio dominio, tam titulo creatoris, qui est communis tribus personis, quam titulo redemptoris, qui est proprius Christi; quia sua morte nos redemit.

Inq. Cur Ecclesia addit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*. R. Ad majorem expressionem beneficii nostræ redemptionis, ad quam Verbum divinum voluit misericorditer descendere de cælis. Inq. Descendit motu locali? R. Minime: quia sua immensitate est ubique; dicitur vero, quod descendit, quia se quodam modo humiliavit, & exinanivit, formam servi accipiens.

36. *Objic.* Quando ascendit in cælos, ascendit motu locali, ergo idem de descensu. R. nego consequ. Quia tunc ascen-

dit factus homo cum vero corpore, cui competet moveri motu locali; sed ante incarnationem solum erat Deus, qui ubique adest, quin moveatur.

*Qui conceptus est de Spiritu sancto*: denotatur his verbis, quod Verbum divinum assumpsit carnem humanam in purissimo ventre sanctissimæ Virginis. Et quod ipsa concepit Christum, non ex semine viri, sed virtute, & gratia Spiritus sancti. Inq. Tres Personæ divinæ operatæ sunt mysterium incarnationis? R. Ita certo, quia fuit operatio ad extra: & omnis operatio ad extra est communis totæ Trinitati. Dicitur tamen de *Spiritu sancto*, quia est opus amoris præcipui, & amor attribuitur Spiritui sancto.

37. *Natus ex Maria Virgine*: denotat primo Christum vere, & realiter natum fuisse ex beatissima Maria. *Secundo* quod mater ejus permansit Virgo in partu. Inq. Quomodo potuit manere Virgo in partu veri hominis, ut erat Christus? R. Divina virtute operante supernaturaliter, & miraculose. Admodum, quo radius solis transit per crystallum, quin rumpat illum, sed potius clariorem, & puriorem illum relinquendo. Unde in mirabili partu virgineo non fuerunt dolor, immunditiæ, aut aliæ miseriæ, quas in partu experiuntur aliæ mulieres.

38. *Passus sub Pontio Pilato*: declarat, quod Christus, ut homo, vere passus fuit tormenta ab Evangelistis relata; & quod id accidit, quando Pilatus erat Judex, ut sciamus tempus certum suæ passionis. *Objic.* Christus ab instanti conceptionis fuit beatus; sed beati sunt impassibiles, ergo non potuit pati. R. nego consequ. Quia licet Christo deberetur dos impassibilitatis ab instanti suæ conceptionis; tamen ex amore patienti pro nobis, suscepit omnes dotis corpori gloriosæ debitas.

39. Inq. Peccavit Pilatus, dum Christum damnavit? R. Nimis. Cognovit enim ejus innocentiam, & quod per invidiam tradiderunt illum ei Pontifices. *Objic.* Judex non ex privata notitia sed juxta allegata, & probata judicare debet; sed testes deposuerunt contra Christum, ergo. R. Quod ipse Judex agnovit falsitatem testimonii, quorum testimonia non erant convenientia, & nullam invenisse cau-

sam mortis in Christo testatus est, propterea etiam lavit manus. Igitur Pilatus solum ex ignavia, & timore mundano, ne perderet amicitiam Cæsaris, damnavit Christum: non quidem ex odio, sicut Judæi, qua ratione isti perfidi sceleratiores fuerunt Pilato, & majus eo commiserunt peccatum. Instittit Pilatus, volens liberare Dominum: fecit tamen.

40. *Crucifixus*: denotat, quod Christus fuit Cruci affixus. Inq. Cur noluit mori alio genere mortis, vel in acerbissimis flagellis, vel in coronatione spinea capitis? R. Ut superabundantius pro nobis solveret, & ut nos amplius obligaret ad ei serviendum, eumque redamandum. Omnis enim figura ejus amorem spirat, caput inclinatum, pectus apertum, manus expansæ. Et ut sciat peccator, eum semper habere brachia extensa, hoc est, apertas portas misericordiæ ad illum recipiendum; quoties vere poeniteat. Alias rationes dedimus supra, cur elegit mortem Crucis. Adde ex S. Aug. *Serm. 59. de diversis*. Noluit lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur: elegit vero Crucem, quæ levi motu manus exprimitur, qua contra inimici versutus munimur.

41. Inq. Quorsum faciem habebat Christus Cruci affixus? R. Versus occidentem, ideo nos oramus, & orare debemus versus orientem, quia Christus in Cruce occasum respiciebat, eodemque situ cœlum ascendit, & inde est venturus ad iudicium ait S. Damasc. 4. *de fide orthodox. cap. 13. apud Alapid. in Matth. cap. 27.*

42. Inq. Cur Ecclesia addit etiam pro nobis? R. Ut declaret, quod non solum descendit de cœlis pro nobis, fuit conceptus, & natus pro nobis, sed etiam fuit passus, & crucifixus pro nobis; non pro se, sed pro nobis omnia pertulit. Ac si diceret, tantus, ac talis fuit amor ejus pro nobis, ut etiam fuerit crucifixus pro nobis.

43. *Mortuus* denotat, quod Christus fuit mortuus vere, & realiter, non apparenter, ut finxere Marcion, & Basilides, qui ineptissime ajunt Christum fuisse Judæos præstringendo oculos eorum, ita ut, relicto Cyrineo, ipse se sub-

duxerit, & evanuerit, unde Judæi putantes crucifigere Christum, crucifixerunt Simonem Cyrineum. Atque ita errare etiam nunc Mahomettanos asserit *Corn. in Matth. ubi supra.*

44. Inq. Quo die Christus fuit crucifixus, & mortuus? R. Die 25. Martii, eodem, quo Adam fuit formatus, comedit de pomo vitæ, peccavit, & a Paradiso fuit expulsus. Sic divina providentia factum est, ut eodem die, quo Adam, comedendo ex arbore, mundo mortem intulit, Christus, moriendo in arbore, vitam mundo attulit. Inq. In quo constitit mors Christi? R. In separatione animæ a corpore. Inq. Anima, & corpus manserunt unita divinitati? R. Sine dubio. Ut si Petrus educat gladium e vagina, gladius, & vagina separantur ad invicem, sed manent uniti Petro. Ita proportionabiliter in præsentia.

45. *Et sepultus*: denotat, quod corpus Jesu, divinum cadaver fuit sepultum more Judæorum. Inq. Fuit antea aliquis sepultus in illo sepulcro? R. Nullatenus. Constat ex *Joan. 19. in quo nondum quisquam positus erat*. Inq. Cur voluit sepeliri in sepulcro novo? R. *Primo*, ne Judæi dicerent, quod alius ibi sepultus resurrexit. *Secundo*, quia sicut voluit carnem suscipere, & nasci de matre virgine, ita, voluit sepeliri in sepulcro virgine, puro, & novo. Hac eadem ratione voluit involvi corpus suum in sindone munda; ut sciat Christianus obiter, qua puritate, qua munditie debet corpus ejus recipere in Eucharistia.

46. *Descendit ad inferos*: denotat animam Christi descendisse ad sinum Abrahamæ, seu in limbum Patrum. Inq. Cur vocatur sinus Abrahamæ, & non Moÿsis, Aaron, vel alterius Patriarchæ? R. Quia Abrahamæ primo facta est expresse promissio Messiæ, qui ex ejus semine ortus, liberatus erat animas ibi detentas. Quidam etiam dicunt ita vocari illum sinum, quia erat velut hospitium peregrinorum ex hac vita migrantium, & quia Abrahamæ domus erat receptaculum pauperum, ac peregrinorum.

47. Inq. Potest dici, quod totus Christus descendit ad limbum? R. Utique. Quia persona divina animæ unita illic descendit. Totus filius apud Patrem, totus

tus in cœlo, totus in terra, totus in utero Virginis, totus in Cruce, totus in inferno, ait ex S. Aug. D. Thom. 3. p. 9. 52. a 3. *Objct.* Corpus Christi non fuit in inferno, ergo nec totus Christus? R. neg. conseq. Quia antecedens est verum, sed solum probat Christum non fuisse in inferno totaliter, seu quoad omnes partes naturæ humanæ.

48. Inq. Quid fecit anima Christi in limbo Patrum? R. Quod eos sua præsentia ibi beatificavit, suam ostendens divinitatem. Inq. Descendit ne ad alia loca, seu receptacula infernorum? R. Non personaliter, sed per effectus. Animas purgatorii solatio afficiendo, & demones terrendo in orco. Quidam dicunt animabus purgatorii ostendisse suam Deitatem sicut Patribus limbi, dedisseque eis primum Jubilæum universale: quod pie dicitur; oppositum tamen docet D. Thom. ibi a. 8.

49. *Tertia die resurrexit a mortuis*: denotat, quod Christus, in quantum homo, rediit ad vitam, & gloriosus resurrexit, non eodem die, ut poterat, quia si statim resurrexisset, videri posset, quod ejus mors non fuerit vera. Resurrexit itaque non statim post mortem, sed tertia die, mortuus est enim die veneris post horam nonam, & resurrexit diluculo die Dominica. Et tertia die sumitur per Synodochem, aut *inceptum pro completo*. Inq. In quo consistit resurrectio? R. In reunione animæ, & corporis. Inq. Surrexit Christus propria virtute? R. Utique. Inq. Quomodo ergo, dicitur in *Actib. Apost. 13. Deus vero suscitavit eum a mortuis*? R. Hoc dicitur de Christo, ut homo. Alio enim modo cum anima, & corpus Christi semper manserint unita Verbo divino, propria virtute potuerunt reuniri, ut de facto accidit.

50. Inq. Cur Ecclesia addit *secundum scripturas*? R. Ad majorem confirmationem hujus mysterii, & quia erat prænuntiatum tum in veteri testamento *Psal. 138. Domine probasti me, & cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam*. Tum in novo, *Matth. 27. v. 63. Post tres dies resurgam*. *Luce 18. Filius hominis... tertia die resurget*. In quibus & aliis locis apertissime Christus prædixit suam mortem, & resurrectionem.

Unde inexcusabiles sunt Judæi, Gentiles, & scilicet increduli mysteriorum nostræ fidei. 51. Inq. Quando anima Christi exivit de limbo, eduxit secum alias animas sanctas? R. Utique. Constat ex sacro textu, quod multa corpora sanctorum surrexerunt, & apparuerunt multis. Quod accidit tertia die a morte Christi, quando ab inferis resurrexit.

52. Inq. Resurrexit Christus cum cæcaticibus, aut vulneribus? R. Ita planè. Constat ex *Joan. 20.* ubi dixit Thomæ; *infer digitum tuum huc*, id est in vulnera. Surrexit igitur Dominus cumquinque vulneribus apertis. *Primo*, in signum victoriæ, & triumphi. Sicut Martyres habebunt vulnera pro Deo recepta insignum suæ fortitudinis, & victoriæ. *Secundo*, ad confirmandos Discipulos in fide resurrectionis. *Tertio*, ut Patri pro nobis supplicans, ea semper ostendat. *Quarto*, in testimonium sui eximii amoris erga nos, pro quibus talia passus fuit. *Quinto*, ad solatium nostrum, credendo illas januas misericordie semper esse apertas, illosque dulcissimos fontes Salvatoris semper manare aquas vitæ, & nunquam exhausturi, nec claudi. *Sexto*, ut sicut apparebit Crux Christi in iudicio universalis, ita appareant ejusdem vulnera pro majori solatio justorum, & majori confusione malorum, qui per illas amoris, & misericordiæ portas intrare nulluerunt, ait cum S. Aug. D. Thom. 3. p. 9. 54. art. 4.

53. *Ascendit ad cœlos*: denotat, quod Christus, postquam resurrexit, ascendit corpore, & anima ad cœlos. Inq. Ad quem cœlum ascendit? R. Ad supremum, seu empireum. Tum quia convenit corpori divinitati unito, ut ascendat super omnes cœlos. Tanto enim debetur alicui altior locus, quanto est nobilior. Tum quia sic meretur exaltari illud corpus, quod adeo dejectum, & humiliatum fuit pro gloria Dei, nostraque salute. Si enim Christus primum descendit ad inferiores partes terræ, æquum est, quod ascenderet gloriosus ad superiores partes cœli. Ascendit igitur super omnes cœlos, ut impleret omnia, dicit cum glosa D. Th. ibi 9. 57. art. 6.

54. Inq. Quæ differentia adest inter ascensionem Christi, & assumptionem bea-

beatissimæ Virginis? R. Quod Christus ascendit propria virtute; ideoque dicitur absolute *ascensio*. Sed beatissima Virgo ascendit virtute aliena nempe Dei; ideo appellatur *assumptio*. *Objic.* Marci 16. v. 19. dicitur de Christo: *assumptus est in celum*, ergo ejus ascensio etiam appellatur *assumptio*. R. Quod Christus dicitur assumptus in celum a propria divinitate; quod nequit dici de beatissima Virgine. Christus ergo dicitur assumptus & elevatus, aut quod resurrexit virtute Patris, vel Dei; virtus autem Patris est etiam virtus Filii.

55. Ascensio Christi fuit miraculosa propter ejus circumstantias, ideo dicitur Ecclesia *Per admirabilem ascensionem tuam*; absolute tamen non fuit miraculosa, quia anima gloriosa movet corpus ad nutum, & corpori glorioso communicatur dos agilitatis, & debetur locus celestis. *Objic.* etiam corpus beatissimæ Virginis ut gloriosum priusquam sublimaretur in celum; & tamen ejus assumptio fuit miraculosa, ergo. R. Fuit miraculosa in *radice*, seu *præsuppositivè*, non vero supposito privilegio; corpori enim beatæ Virginis ex privilegio concessa fuit resurrectio perfecta ante generalem resurrectionem. Supposito autem privilegio, non fuit proprie miraculosa ejus assumptio. Pro quo nota, quod miraculum est *opus arduum, & insolitum supra vires totius nature creatæ*. Igitur licet elevari in celum sit supra vires corporis corruptibilis, non vero est supravires corporis gloriosi dote agilitatis ornati.

56. *Sedet ad dexteram Patris omnipotentis*: denotat, quod Christus in quantum Deus gaudet æquali gloria, honore, & potestate ac Pater; & in quantum homo majori alio homine, vel Angelo. *Sedere* igitur significat hic *conregnare*; ad *dexteram* autem dicit gloriam, & honorem Patri æqualem. Unde humanitas Christi est in eodem throno cum Patre ratione divinitatis, sicut purpura Regis est in throno regio.

57. *Objic. Act. 7.* Stephanus vidit Jesum stantem, ergo non sedet. R. neg. conseq. Stare pugnantis, vel adjuvantis est, quia ergo Stephanus, in certamine positus, vidit Jesum adjuvantem se, dixit, vidisse illum stantem. D. Thom. 3. part. 2. q. 58. a. 1. ad 3.

58. *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos*: Addit Ecclesia *cum gloria*. Denotat, quod Christus visibiliter veniet jam gloriosus, & impassibilis in fine mundi ad faciendum iudicium universale. Inq. Quomodo coheret hic articulus cum anteriori? R. Optime, quia in sessione Christi ad dexteram Patris significatur, non solum æqualitas gloriæ, sed etiam judiciaria potestas, ut ait D. Thom. ibi. Inq. Quot titulis competit Christo potestas iudicandi? R. Saltem ex quatuor. *Primo*, quia est Filius Dei juxta illud *omne iudicium dedit filio. Joan. 5.* *Secundo*, quia est caput Ecclesiæ. *Tertio*, ex plenitudine gratiæ. *Quarto*, ex merito suæ humilitatis, quia æquum est, ut qui injuste fuit iudicatus, Iudex constituatur. Huc alludit, quod dixit Caiphæ, & Pontificis illum injustissime iudicantibus: *videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Matth. 27. v. 64.

59. Igitur licet iudicium, sive particulare, sive universale conveniat toti Trinitati, quæ vere illud facit, & faciet invisibiliter; tamen attribuitur specialiter Christo tam ut Deo, quam ut homini, quia etiam ut homo est caput omnium hominum. Imo & omnium Angelorum, qui etiam subsunt potestati judiciariæ Christi, non solum ut est Deus, sed etiam ut homo est, ita D. Thom. ibi q. 59. a. 6.

60. Addit Ecclesiæ: *cujus regni non erit finis*. Ad denotandum regnum Christi non esse temporale, sed æternum; nec finisse in ejus morte, sed post diem iudicii habiturum suum complementum, quando Christus, devictis finaliter hostibus, regnabit sine fine cum omnibus sanctis suis.

61. *Credo in Spiritum sanctum*: denotat, quod est alia Persona divina, quæ dicitur *Spiritus sanctus*, in quem debemus credere tamquam in ultimum finem, quia est Deus sicut Pater, & Filius. Inq. Sunt tres Spiritus sancti? R. Nullatenus, quia si Spiritus sanctus sumatur pro Spiritu sancto absolute, sic unus Spiritus, & unitantum sanctitas est in tribus Personis. Si autem summatur relative, solum convenit tertiæ personæ. Inq. Cur tertia Persona dicitur dicitur Spiritus sanctus? R. Quia procedit per impulsum, & impulsus dicitur aer, seu ventus, & quia ille impulsus, per quem procedit, est sanctus, ideo

ideo veretur dici Spiritus sanctus. Inq. potest dici Spiritus sanctus factus, productus, aut creatus? R. Nentiquam, quia verba *facio, produco*, aut *creo* denotant quid factum in tempore. Nec potest dici *genitus*, quia non procedit via intellectus. Nec *conceptus* ob eandem rationem. Igitur debet dici *procedens*, aut etiam valet dici *Spiratus*. Unde S. Athan. *Non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*.

62. Cur addit Ecclesia *Dominum*? R. Ut sciamus Spiritum sanctum gaudere æquali dominio potestate, & honore, ac Pater, & Filius. Consonat S. Athan. *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus*. . . . *Non tres Domini, sed unus est Dominus*, quia tres personæ divinæ eodem gaudent dominio. Ex quo patet, quam insanus fuit error Catharistarum, qui dixerunt Spiritum sanctum esse Montanum. Ut refert D. Thom. 3. par. 2. q. 66. a. 9. ad 3.

63. Inq. Cur addit: *vivificantem, qui locutus est per Prophetas*? R. Ut denotet, operationes nos vivificandi, excitandi ad bonum, docendi, illuminandique per Prophetas attribui Spiritui sancto, licet alias sint communes toti Trinitati. Hinc Spiritus sanctus in figuris aquæ, columbæ, ignis, & linguarum diversimode descendit. Inq. Cur in dictis, & non in una sola figura apparuit? R. Ad denotandum varias operationes, quæ in talibus figuris representantur: in aqua abundantia gratiarum; in columba fecunditas spiritualis, puritas, & simplicitas; in igne, zelus, & fervor, quibus Apostolorum ornavit ad conversionem mundi, & armavit contra inimicos fidei; in linguæ donum sapientiæ, & linguarum ad eam omnibus gentibus prædicandum. Unde merito dicitur Paraclitus, seu Paraclitus ob auxilium, fervorem, & solatium, quæ fideles favet, fovet, & adjuvat. Montani discipula Priscilla, Maximilla, & Quintilla volentes illi tribuere honorem proprium Spiritus sancti, prædicabant Montanum esse Paraclitum juxta S. Epiphanius heres. 51. sed hæc non solum hæresis, sed manifesta dementia est: quæ aperte fuit comprobata in sua morte; nam Montanus cum ejus prophetissis, laqueo se præfocavit, ait Eusebius lib. 5. cap. 15.

64. Inq. Cur addit Ecclesiæ: *Qui a Patre*

*et filioque procedit*? R. Ad reprobandam hæresim Græcorum, qui asserebant solum a Patre procedere. Initio Ecclesiæ omnes Græci credebant eadem fide, ac Latini divinitatem Spiritus sancti. Apollinarius, & Macedonius primi omnium illam impie negarunt. Eos cum suo errore damnavit S. Damasus Papa. Subinde primus ex Græcis, qui post Nestorianos negavit Spiritum sanctum non procedere a filio, fuit Theodoretus vir alias doctissimus, qui agnoscens suum errorem in Concilio Chalcedonensi, in quo Macedonius cum ejus assecris iterum fuit damnatus, illum adjuravit.

65. Inq. Quando Ecclesia addit prædicta verba? R. Ea dici auctoritate Ecclesiæ est centum; tempus vero, aut Concilium, in quo expresse addita sunt in symbolo, est incertum. D. Tho. 1. part. 2. q. 36. art. 2. ait, addita fuisse in quodam Concilio in occidentalibus partibus congregato. Card. Aguirre in suo aereo opere de defensione cathedrae S. Petri putat Concilium, cujus memini D. Thom. fuisse Toletanum tertium, ideoque in Hispania recitari, in Gallia cantari primo capisse symbolum cum prædicta additione *filioque*, ait disp. 43. n. 77.

66. Igitur circa Personas sanctissimæ Trinitatis in primo Concilio Nicæno contra Arianos conditum fuit symbolum, declarans filium esse æquale, & hominibus, id est consubstantiali Patri. Hoc fuit præcurrensum assumptum illius generalissimi, & gravissimi Concilii, statuendo in Trinitate beatissima unam essentiam cum omnimoda æqualitate trium Personarum. Postea Macedonius cum Apollinaristis, & aliis sequacibus negavit divinitatem Spiritus sancti, quorum errores anathematizavit Damasus Papa, declarans Macedonianos nomine teus differre ab Arianis, qui omnes paulo post rursus damnati fuere in Concilio generali Constantinopolitano, ubi symbolum Nicænum uberius fuit declaratum, non vero addita particula *filioque*, donec insurgentibus Græcorum novis erroribus, vel antiquis innovatis, providè, & rationabiliter addita fuit ab Ecclesia symbolo Nicæno illa particula. Celebrato enim Concilio forentino, factaque unione Ecclesiæ græcæ, & latinæ, traditum fuit symbolum

Armenis, & Græcis ab Eugenio IV. cum particula *filioque*. Græci tamen non longe postea reciderunt ad suum errorem, negantes Spiritum sanctum procedere a filio, cuius pertinet dignas penas miserere luunt, amisso imperio orientali sub tyrannide Otthomana.

67. Inq. Potest dici quod Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium? R. Potest, si ly per sumatur pro eodem ac ex, ita D. Thom. ibi art. 3. sed melius dicitur a Patre *Filioque procedit*.

68. Inq. Cur addit Ecclesia: *Qui cum Patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur*? R. Ad majorem expressionem equalitatis Spiritus sancti cum Patre, & Filio in excellentia, divinitate & gloria; & refutationem *Pneumatomachorum*, idest, negantium divinitatem Spiritus sancti, in quam diversimode blasphemant, dicentes illum non esse Deum, sed Angelum, ministrum, nuncium Dei, vel tantum ingenium Patris, contra quos canit Athan. *Sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæternæ majestas*.

69. Inq. Continentur hæc omnia in illo verbo *credo in Spiritum sanctum*, positum in symbolo Apostolorum? R. Utique; qui enim credit in Spiritum sanctum, credit ipsum esse Deum, sicut Pater, & Filius, & consequenter esse illis in omnibus æqualem. Qua ratione Ecclesia romana initio renuit admittere laudatam additionem. Sine ulla enim additione sufficienter creditur æqualis divinitas Spiritus sancti cum Patre, & Filio, dicendo simpliciter, *pro in symbolo Apostolorum, credo in spiritum sanctum*.

§. II. *Utrumque*  
*Pars secunda symboli, quæ pertinet ad Ecclesiam.*

70. *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, denotat dari veram Ecclesiam universalem, in qua Deus est notus, & adoratus. Inq. Cur non dicitur *in sanctum Ecclesiam catholicam*? R. Quia non credimus in eam sed credimus eam esse, & etiam ei proponit veritates fidei. Nam præpositione *in* solum credimus Deum, & Personas divinas, tamquam in ultimum finem. Si quis autem diceret: *credo in Ecclesiam*

*catholicam*, intelligendo Spiritum sanctum eam regentem, non erraret; at satius est accommodari communi usui loquendi. Ut docet D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 9. ad 5. *Inq. Quot sunt Ecclesie? R. Materiales, nempe templa ad quæ adeunt fideles orandum, sunt plures; at de his non est sermo, sed de Ecclesia universali. Hæc est una sola, habet duas partes nempe *triumphantem, & militantem*. *Triumphans est congregatio beatorum*. Triumphans dicitur, quia beati, devictis hostibus animæ, triumphant in coelo. Ad hæc reducitur *purgans, quæ est congregatio animarum fidelium luentium penas temporales, pro peccatis debitas*. Militans est *congregatio fidelium baptizatorum ad colendum Deum adunata, cujus caput invisibile est Christus Dominus in caelis, & visibile summus Pontifex in terris*. Dicitur *militans*, quia militia ex vita hominis super terram. Vel quia tanquam milites pugnamus in terra contra animæ hostes.*

72. *Objic. 1.* Eadem est Ecclesia veteris, & novi testamenti; sed hæc definitio non convenit Ecclesie veteris testamenti, ubi non erat baptismus, ergo non est bona. R. Quod Ecclesia potest considerari in triplici statu, videlicet in statu legis naturæ, in statu legis scriptæ, & in statu legis gratiæ. Igitur licet Ecclesia sit semper eadem ab Adam usque nunc, non vero in eodem statu. Unde definitio tradita solum convenit Ecclesie pro statu legis gratiæ, in quo sine baptismis nullus eam ingreditur.

73. *Objic. 2.* Catechumeni, aut alii non baptizati, si sint in gratia, pertinent ad Ecclesiam, ergo. R. dist. antec. Pertinent *invisibiliter*, & quoad *forum internum* conc. antec. *visibiliter*, & quoad *forum externum* nego. antec. Quilibet ornatus gratia habituali est pro foro interno in Ecclesia baptizatus baptismo flammis. Verum si deficit ei habitus flammis, non est pro foro externo in Ecclesia, nec ejus membrum visibile. Unde non potest recipere sacramenta, quia deficit ei caracter baptismalis.

74. *Objic. 3.* Passim legitur Ecclesia gallicana, Ecclesia hispana, Eccle-

sia græca, & latina, ergo sunt plures Ecclesie. R. Sunt quidem plures partiales, sed unicum omnes constituunt. Hæc enim est dilecta Christi sponsa circumdata varietate gentium, rituum, & officiorum.

75. Inq. Quorum est caput Christus? R. In quantum Deus est caput omnium hominum, & Angelorum. Quia omnes regit, & gubernat. In quantum homo est primo caput omnium beatorum, etiam Angelorum, quia omnes beati sunt uniti Christo tanquam capiti. Et juxta Apost. *ad Colos. 2.* Christus est caput omnis Principatus, & potestatis. Et quia Christus etiam, ut homo est caput totius corporis Ecclesie, quod ex hominibus & Angelis constat. Tertio est actualiter caput omnium viatorum, qui sibi sunt uniti per gratiam, aut fidem. Quarto *in potentia* reducenda ad actum est caput omnium prædestinatorum. Quinto *in potentia non reducenda ad actum* est caput omnium reprobatorum. Ita D. Thom. 3. p. q. 8. art. 1. & seqq.

76. Inq. Cur Christus dicitur caput Ecclesie, & Spiritus Sanctus cor illius? R. Quod licet utrique conveniant tres proprietates requisitæ ad rationem capitis, nempe prioritas, superioritas, & influentia in membra; tamen Spiritus Sanctus, qui invisibiliter influit, & vivificat Ecclesiam, dicitur melius cor Ecclesie, cor enim occulte influit. Christus vero, ut homo ex se visibilis, aptius dicitur caput Ecclesie, quæ visibilis est: ita D. Thom. ibi ad 3.

77. Inq. Lucifer est caput malorum? R. Ita plane, quia eum respective imitantur, ejus ductum, vexillaque sequuntur. Idem est quodammodo de Antichristo respectu eorum, qui eum sequuntur. *Objic.* Plures mali sunt membra Christi, dum fidem retinent: ergo non luciferi, alias haberent duo capita. R. Ita accidere in pravis fidelibus, qui ratione fidei sunt membra Christi, & ratione peccati membra Diaboli: sicut dum quis ratione duplici dignitatis est membrum duplicis Ecclesie, aut communis.

78. Inq. Quorum est caput Papa? R. *Jure, & facto* est caput omnium baptizatorum, qui sub ejus regimine, & obedientia degunt: hæreticorum *jure* est caput, quia sunt baptizati; *facto* vero, cum

sint ab ejus obedientia separati, non sunt ejus membra, nec accipiunt influxum spirituales ab illo, nec ut caput illos regit. Idem est suo modo de schismaticis, qui sunt membra sponte separata a capite Ecclesie.

79. Inq. Quis est Papa? R. Est summus Romæ Pontifex. Vicarius Christi in terra, cui omnes tenemur obedire. Inq. Cur Papa dicitur Vicarius Christi, & non successor? R. Quia successor est ejus, qui finivit officium, Vicarius autem ejus, qui retinet officium. Unde quia Christus est Sacerdos in æternum, semper retinet officium capitis Ecclesie, & Pastoris universalis, & quia in ejus visibili absentia Papa supplet pro illo dicitur Vicarius illius. Successor vero dicitur Petri, & aliorum Pontificum, qui finierunt officium in morte.

80. Inq. Tempore schismatis, cui est obediendum? R. Vel agnoscitur legitimus Papa, vel non? Si agnoscitur legitimus Papa, huic soli est obediendum, tanquam Christi Vicario, neglecto quolibet alio intruso. Si inter duos, vel tres ignoretur, quis sit legitimus, periculosum est alicui adherere. Tunc igitur potest dici Ecclesia acephala sine vero capite visibili; admodum sedis vacantis, donec declaretur, vel eligatur legitimus. Quomodo Ecclesia est *sancta, una, catholica, & apostolica* diximus tract. 1. a. num. 39.

81. *Sanctorum communionem*: denotat fideles habere partem in bonis spirituales aliorum, tanquam membra unius corporis, quod est Ecclesia. Inq. *Communio*, hæc adest etiam intra beatos, & viatores? R. Utique, & eandem etiam participant animæ purgatorii, quia corpus mysticum Ecclesie componitur tanquam ex membris, ex beatis, viatoribus, & animabus purgatorii. Unde Beati nos adiuvant sua intercessione apud Deum. Oppositum est error Vigilantiæ, quem ideo S. Hieronymus optime vocat *dormitantium*. Accrescit etiam beatis nostris votis, & laudibus gaudium accidentale; ac pariter ex precibus, eis directis ab animabus purgatorii, quas multum solantur, & juvant e celo. Adest similiter dicta communio inter nos, & animas purgatorii, quia nostra sacrificia, & orationes illis prosunt, & ipsæ saltem mediis Angelis abundanter

retribuunt, plura bona spiritualia & temporalia a Deo pro suis benefactoribus obtinendo, ut constat innumeris exemplis.

82. Inq. Quot veritates continentur in ista communione? R. Dux, prima esse de fide reperiri sanctos in Ecclesia militante. Secunda omnes fideles participare ad invicem opera ab aliis facta, quia sunt membra ejusdem corporis. Sicut ergo unum membrum juvat ab alio, & pedes ab oculis, & gaudet de bono alterius, & tristatur de ejus malo, aut poena, ita debemus congaudere de bonis, praesertim spiritualibus aliorum, ac tristari de eorum malis, poenis, & praecipue de culpis, compati eorum miseris, & juvare eos tamquam membra ejusdem corporis.

83. *Contra*: Si hoc ita est, omnia opera bona sunt omnibus communia, ergo superfluum erit applicare alicui in particulari orationes, suffragia, aut Missas animabus purgatorii. R. neg. conseq. Quia licet opera bona prosint omnibus; pro sunt tamen multo amplius illis, pro quibus specialiter applicantur. Pro quo nota primo, opera bona esse in duplici differentia, alia communia, quae sunt nomine Ecclesiae, & quorum distributio pendet ab ea, ut sunt officia divina, rogationes publicae, & similia. Alia sunt particularia, quorum applicatio pendet ex intentione operantis, ut privatae orationes, elemosinae, aut jejunia.

84. Secundo nota quodlibet opus bonum habere quatuor effectus. Meritorium, quod nulli applicari valet, & consistit in quodam augmento gratiae, & gloriae, vel in quodam jure ad illud, respondente ipsi operanti. Satisfactorium, consistens in valore operis ad satisfaciendum pro poenis debitis peccato mortali, aut veniali, jam dimissis quoad culpam. Propitiatorium, quod Deo nobis pacatur, & movetur ad danda auxilia, quibus poenitentiam agamus. Impetratorium, quod consistit in eo, quod Deum inlectat, ut conferat nobis ea, quae ab eo poscimus, vel alia, quae nobis magis conveniunt.

85. Igitur justi viatores participant in bonis tum communibus, tum particularibus, quoad tres effectus posteriores. Nec ad hoc requiritur specialis applicatio, sed sufficit, quod fiant a justis ho-

mine Ecclesiae, vel proprio, ut ab aliis justis participantur juxta illud Psal. 118. v. 63. *Particeps ego sum omnium timendum te, & custodientium mandata tua.*

86. Inq. Qui opus bonum a se factum applicat sibi, meretur, & satisfacit plus, quam alter, qui ceteris paribus illud applicat pro alio? R. Meretur minus, quia non exercet actum caritatis, sicut alter; & plus satisfacit, quia solvit plus media satisfactione, sibi soli applicata. Alter vero minus satisfacit, quia solvit minus media, sed plus meretur, quia exercet actum caritatis solvendi pro alio. Unde qui de suis operibus Deo plus offerunt in satisfactionem pro animabus purgatorii, augment incomparabiliter meritum caritatis, cujus mercede non carebunt.

87. Inq. Fideles, qui sunt in lethali, participant de operibus bonis aliorum? R. Participant quoad Propitiatorium, & Impetratorium, ut constat ex cap. 18. *Genes.* ubi Deus promisit Abrahae veniam Sodomitarum, non solum propter quinquaginta justos, si fuissent reperti in illa nefanda civitate, sed etiam propter decem. O mira Dei pietas!

88. Inq. Judaei, pagani, & haeretici participant de hac communione? R. Minime: quia sunt separati a corpore Ecclesiae. *Objic.* 1. Judaei sunt de Sinagoga, quae constituit secundum statum Ecclesiae, ergo participant tamquam ejus membra. R. Quod Sinagoga ante mortem Christi erat vera Ecclesia, non vero post mortem Christi, quia finem habuit in consummatum est, ideo jam Sinagoga non est Ecclesia, sed superstitione execranda. *Objic.* 2. Plures gentiles, & gravissimi peccatores conversi sunt propter orationes justorum, ut S. Augustinus ob preces suae matris, ergo etiam existentibus extra Ecclesiam prosunt orationes justorum. R. *dist. cons.* Ex applicatione specialis conc. cons. ex generali communione. *neg. cons.* prosunt quidem orationes justorum etiam judaeis, & paganis, quando pro eis specialiter applicantur: ideo ex caritate debemus etiam pro eis orare; nihil tamen eis prodest communitio, de qua loquimur.

89. Inq. Prodest fidelibus excommunicatis, si sunt in gratia? R. Utique, quia fundatur in fide, & caritate. Unde licet Ecclesia privet eos omnibus bonis spiri-

tualibus externis, non vero internis. Oppositum inquit Cardinalis Bellarminus in sua doctrina christiana in explicatione hujus articuli, sed intelligendus est de excommunicatis, qui sunt in lethali.

90. *Remissionem peccatorum* denotat dari in Ecclesia media consequendi remissionem peccatorum, tam quoad reatum culpae, quam quoad reatum poenae aeternae, & temporalis. Inq. Per quae media remittuntur peccata gravia quoad culpam, & poenam aeternam? R. Per tria, quae sunt sacramenta, actus contritionis perfectae, & actus dilectionis Dei super omnia. Inq. Quomodo remittitur peccatum grave per actum contritionis, & quomodo per actum dilectionis? R. Per primum directe, & per secundum indirecte ratione incompatibilitatis.

91. Inq. Per quae media remittuntur peccata venialia? R. Per sacramentalia cum eorum detestatione, & etiam per sacramenta tum vivorum, tum mortuorum. Remittuntur etiam poenae temporales debita pro peccatis per praedicta, & etiam mediis indulgentiis, sacrificiis, poenitentis, jejunis, & aliis bonis operibus. Inq. Dantur dicta media extra Ecclesiam? R. Minime, quia extra Ecclesiam non est salus, nec remissio peccatorum. Unde deplorandi sunt qui extra Ecclesiam catholicam sibi promittunt, vel fingunt salutem. Non minus sunt deplorandi, qui intra Ecclesiam mediis adeo facilibus uti negligunt, vel eis abutuntur.

92. *Confiteor unum baptismum* addit Ecclesia, tum ad majorem expressionem remissionis peccatorum, baptismum enim est primum sacramentum ad remissionem peccati originalis, & alterius cujuscumque reperti in baptizando, tum ad reprobandas haereses negantes baptismum, vel dicentes posse reiterari.

93. *Carnis resurrectionem* denotat, quod in fine mundi, quando Christus venit judicare illum, resurgent omnes mortui ad judicium universale. Inq. Quid est resurrectio? R. Est reunio animae ad corpus. Sicut enim ad vitam requiritur unio animae ad corpus, & mors est separatio animae a corpore, ita resurrectio est reunio animae ad corpus. Inq. Cur dicitur *carnis resurrectio*, & non hominis? R. Ad denotandum, quod caro moritur, & non

anima, quae est immortalis. Inq. Resurrectio est opus naturale, vel supernaturalis? R. Est supernaturalis, quia a privatione ad habitum non datur regressus viribus naturae, ideo resurrectio est miraculosa, licet ex parte termini, nempe unionis, sit naturalis, ut ait D. Thom. 1. p. q. 105. art. 7. ad 2.

94. Inq. Ad quid corpora resurgent? R. Ut simul recipiant praemium, aut supplicium, quod simul cum anima meruerunt. Inq. Cur animae tendunt ad praemium, aut supplicium, prius quam corpora? R. Quia principaliter ab anima procedit omnis operatio, ab eaque habet bonitatem, aut malitiam formalem: & quia corpora sunt mortalia, mortique subiecta, a qua subiectione animae sunt immunes quoad se ipsas. Inq. Resurgit idem corpus? R. Sine dubio, alias nec esset resurrectio, nec acciperet praemium, aut supplicium corpus idem, sed aliud. *In carne mea videbo Deum*, dixit Job. 19.

95. Inq. Resurgemus omnes in sexu virili? R. Quod licet aliqui ita dixerint juxta illud ad *Ephes.* 4. *Omnes occurremus in virum perfectum*, hoc tamen intelligitur de virtute animi, non de sexu. Unde unusquisque resurgit in sexu, quem habuit in hac vita. D. Thom. *in supp.* q. 81. art. 3.

96. Inq. In qua aetate, & statura resurgemus? R. In aetate juvenili quasi triginta trium annorum, & in statura perfecta huic aetati respondente; in hac enim aetate resurrexit Christus, nostrae resurrectionis causa, & exemplar. Omnes resurgent integri, sani sine ullo defectu, aut deformitate. Nec obest, quod plures fuerunt naafi, seu polimiones, caeci, claudii, simi, & cum aliis imperfectionibus; quia resurrectio est opus Dei, cujus opera sunt perfecta, & ideo in resurrectione corrigit opera naturae, quae multoties errat per accedens, seu ex adjunctis. Inq. Quomodo est possibile, quod redeat ad vitam, qui igni traditus, conversus fuit in cineres per ventum sparsus, aut in mare projectus? R. Ideo dicitur initio, quod Deus est omnipotens, creatorque caeli, & terrae; si ergo potens est Deus ad suscitandam quasi immensam molem ex nihilo, melius erit potens ad resuscitan-



tandos homines ex aliquo. Nam objective difficilior est suscitare ex nihilo, quam resuscitare ex aliquo.

97. Inq. Resurgent parvuli, qui sunt in lymbo? R. Utique, quia resurrectio erit universalis. Inq. Assistent universali iudicio? R. Etiam, quamvis enim non sit certum, est tamen probabilis, quod assistent, ut videant illius universalis iudicii rectitudinem, & agnoscant iudicem omnium hominum, & infelicitatem malorum. *Dices*: Parvuli, videntes iustorum felicitatem, non parum tristabuntur de illius privatione; sed hoc est inconveniens, ergo non comparebunt. R. Quod hæc poena, si talis fuerit, sufficienter compensabitur, videndo tormentum, quod in æternum damnatur reprobi, & a quibus ipsi manent liberi.

98. Inq. Parvuli post diem iudicii habitabunt extra lymbum, vel ibidem remanebunt? R. Aliqui asserunt eos gavisuros felicitate naturali, habitando terram undequeque deliciosam plantis, floribus, & omni jucunditate repletam. Probabilis tamen est mansuros in lymbo, tamquam in loco sibi destinato sine poena, nec gloria. Nec enim terra tunc germinabit plantas, aut flores, sed erit operata elemento aquæ. D. Thom. in suppl. q. 91. art. 5.

99. *Vitam æternam* denotat, quod anima, & corpora iustorum denuo invicem unita, post iudicium universale ascendent in cælum, ubi sine fine felicissima gaudebunt vita æterna. E contra mali descendunt in orcum, sive sine puniendi. Vita æterna applicatur beatis, & non damnatis, quia istorum infelicissima sors potius meretur vocari *mors æterna*, quam vita æterna. Sicut enim beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: ita damnatio potest dici: *status omnium malorum aggregatione constans*. Beatus habebit, quicquid velit; damnatus autem habebit, quicquid nolit. Vel nihil habebit, quod velit. Considera differentiam, & arripe viam, quæ ducit ad vitam æternam.

100. Inq. Quid est æternitas? R. Est *interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*. Hanc æternitatem participant beati quantum ad visionem gloriæ.

101. Amen idem est hic, ac *firmiter*

credo vere, & fideiiter, ac si diceret: omnia, quæ dicta sunt in symbolo habeo rata, vera, certa certitudine fidei. *Contra*: in fine orationis *Pater noster*, & aliarum *Amen* significat *fiat*, ergo. R. Quod in fine cuiuslibet orationis *Amen* significat *fiat*, quia in oratione petimus, ideo in fine dicimus *Amen*, id est, *fiat*, quod petimus; at in symbolo profitemur, quod credimus, ideo in fine *Amen* significat *ita credo*.

CAPUT IV.

De articulis fidei.

Quamvis articuli fidei contineantur in symbolo, lubet eos separatim exponere pro doctrinæ christianæ pleniori explicatione.

102. Inquiro: Quid sunt articuli fidei? R. sunt quedam distinctio, sive *compositio principalem mysteriorum fidei*. Unde in præsentia, relicta etimologia, idem est articulus, ac *principale mysterium distincte credendum*. Inq. Quot sunt articuli fidei? R. Sunt quatuordecim. Septem pertinent ad divinitatem, & septem ad humanitatem Domini Nostri Jesu Christi.

103. *Obje.* 1. Articuli fuerunt dispositi ab Apostolis, qui duodecim tantum erant, ergo totidem, & non amplius erunt articuli. R. Aliquos Apostolos protulisse duos articulos, unde licet Apostoli essent tantum duodecim, articuli sunt quatuordecim. Quidam tantum distinguunt duodecim articulos, sex pertinentes ad divinitatem, & sex ad humanitatem, ut patet in Catechismo romano. Alii sub uno tres articulos trium personarum comprehendunt, & conjungunt in unum articulos conceptionis, & nativitatis Christi. Tamen melius explicantur per quatuordecim, sequendo communem usum Ecclesiæ; ut ait D. Thom. 2. 2. q. 1. a. 8.

104. *Obje.* 2. communio sanctorum, remissio peccatorum, resurrectio, circumcisio Domini, mysterium Eucharistiæ non continentur in quatuordecim articulis, ergo hi plures debent enumerari. R. dist. anteced. Non continentur explicitè conc. antec. implicite neg. antec.

igi-

gitur omnia mysteria continentur implicite in articulis. Eucharistia enim, ut maximum miraculum, includitur in articulo *Omnipotentie*, cui omnia miracula attribuantur: ut sacramentum continetur, sicut alia sacramenta, in articulo *Salvatoris*. In eodem comprehenduntur communio sanctorum, Ecclesia catholica, & remissio peccatorum; dicitur enim Deus *Salvator*, quia dat gratiam, & ea mediante remittit peccata fidelium. Resurrectio carnis continetur sub articulo gloriatoris. Circumcisio, & alie pene, quas Christus pro nobis toleravit, continentur in articulo suæ passionis, & mortis. Et sic de aliis.

105. Inq. Ad quid sunt instituti articuli fidei? R. Ad dandam notitiam distinctam de Deo, & de Domino nostro, & Jesu Christo nostro Redemptore. Ideo dicitur, quod septem pertinent ad divinitatem, & septem ad humanitatem. Inq. Qui deficit in credendo uno articulo, deficit in omnibus? R. Sine dubio: quia ratio formalis sub qua omnium est una, scilicet *revelatio divina* proposita ab Ecclesia.

106. *Obje.* Ratio formalis sub qua Decalogi est una, nempe *caritas Dei, & proximi*; & tamen, qui deficit in uno præcepto, non deficit in omnibus, ergo idem de articulis. R. Dist. major. Est una *generice* conc. *specifice*, negotio Ratio igitur formalis sub qua Decalogi est una tantum *generice*, ideoque divisibilis, ita ut videtur in uno præcepto absque violatione aliorum. Ratio vero formalis sub qua fidei est una in *specie atoma*, ideoque indivisibilis. Unde deficient in uno articulo, deficit in omnibus.

De articulis divinitatis.

107. Quis est primus articulus divinitatis? R. *Credere unum solum Deum omnipotentem*, debemus enim credere *unum Deum, unum Deum, & in unum Deum*, tamquam in ultimum finem, qui est *omnipotens*, quia suo solo velle facit omnia, quæ vult.

108. Inq. Quid est Deus? R. Est *quædam essentia excellentior omni eo, quod di-*

ei aut cogitari valeat. infinitus, sapiens, iustus, principium, & finis omnium rerum. Interrogatus quidam Philosophus, quid esset Deus? Respondit: Deus est *quædam res, quam quanto amplius cogito, minus scio*. Responsio vere digna viro sapientissimo. Deus enim altior est omni capto, intellectu, & cogitatione nostro. Unde Theologi, etiam lumine fidei illustrati, fatentur Deum melius explicari per negationes, quam per affirmationes: ut nona est terra, nec corpus, nec cælum, nec homo, nec Angelus, nec Cherubin, nec Seraphim, nec aliud quidquam creatum, aut creatibile, sed quiddam altius sublimius, & excellentius. Igitur de Deo *scire non possumus, quid sit, sed quid non sit*, ait D. Thom. l. p. q. 3. in princ. Non potest Deus a nobis definiti, sed potest credi, & amari, & hoc sufficit.

109. Inq. Quid significat hoc nomen *Deus*? R. Significat naturam divinam, non *prout est in se*, sic enim non habemus nomen ad eam significandam, sed *prout a nobis conspicitur*. Quia ergo hoc nomen *Deus* significatur id, quo melius excogitari non valet, utimar eod ad significandam naturam, sive essentiam Dei prout est a nobis explicabilis.

110. Cur Deus est unus solus? R. Quia est summe perfectus, & si essent plures Dii, nullus eorum esset summe perfectus. Perfectio enim, quæ inesset uni, deficeret alteri. Inq. Potest agnosci lumine naturali Deum esse? R. Potest, non a priori, sed a posteriori, & per effectus, ut aliqui Philosophi agnoverunt. Omne enim, quod movetur, ab alio movetur, & cum non detur processus in infinitum, deviandum est ad primum motorem, qui movet, & non moveatur; & hic est Deus. Pariter in ratione cause efficientis, omne, quod fit, ab aliquo fit; deveniendum ergo est ad causam, quæ faciat, & non fiat, quæ sit causa omnium causarum, & hæc est prima, nempe Deus.

111. Quomodo coheret hic primus articulus cum primo, & maximo mandato dilectionis Dei super omnia? R. Optime coheret, nam cum Deus sit unus solus summe bonus, ac perfectus, debet amari unice ex toto corde, & mente, sine divisione nostri amoris cum alio: ita ut pro-

proximum etiam amemus propter Deum.

112. Inq. Adsumt duae causae primae, una rerum visibilium, & alia invisibilium? R. minime. Tum ob rationes dictas, tum quia ex duabus primis causis, vel una posset, quod alia, vel non. Si posset, non esset distincta, nec in natura, nec in potestate, seu potentia. Si non posset, iam indigeret altera, & sic non esset omnipotens. Tum quia, stante duplici prima causa, una vellet, quod altera nollet; & esset divisio, dissensio, & mutua destructio. Unde lumini naturali repugnat pluralitas Deorum, credita a Gentilibus, & duo principia, somniata a Manichaeis, & alii miseris caecis.

113. *Objic.* Quod lumine naturali potest agnosci, non est de fide; sed esse unum Deum potest agnosci lumine naturali, ergo non est de fide. R. dist. cons. Non est de fide respectu ignorantium; nego consequ. respectu sapientium; subdistinguo, non est de fide existentia Dei, ut est author naturalis conc. cons. ut est author supernaturalis, nego. cons. Deus ut author supernaturalis est objectum primarium fidei respectu omnium, quia, ut talis, nequit ratione naturali probari, nec agnosci; licet respectu aliquorum, qui vim demonstrationis capiunt, non sit de fide, ut author naturalis. At respectu eorum, qui dictam vim non percipiunt, est de fide Deus etiam, ut author naturalis. D. Thom. 1. p. q. 2. a. 2. ad 1.

114. Imo etiam ipsi Philosophi christiani, qui agnoscunt evidenter Deum esse, certius credunt hanc veritatem ratione fidei, quam ratione demonstrationis, quia fides certior est omni scientia naturali. Et licet eam non credant assensu fidei, quia nequit idem simul sciri, & credi; confirmatur per fidem in suo assensu scientifico. Nec perdit meritum fidei, quia habent voluntatem, & affectum credendi omnia, quae ad fidem attinent. D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 10.

115. Exemplum habemus in Apostolis, qui videbant Christum esse hominem, & alia, quae nos, quia ea non videmus, fide credimus, & tamen licet illa respectu Apostolorum, qui ea oculis cernebant, non essent de fide, respectu nostri sunt de fide. Nec ob id Apostoli

fuere minoris meriti, sed felicioris sortis, & meriti majoris. *Objic.* Dominus dixit Thomae: *Quia vidisti me, Thomas, credidisti, beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Joann. 20. ergo beatores sunt, qui non vident, & credunt. R. Quod Thomas aliud vidit, & aliud credidit. Vidit hominem, & credidit Deum. Ideo est exemplar credentium, quae non vident. At quia pro tunc non erat paratus credere illum articulum, nisi videndo Christum, ideo parati credere, nihil videndo, beatores dicuntur respectu tantum.

116. Inq. Quotuplex genus operationum est in Deo? R. Duplex; dantur enim in Deo operationes ad extra, & ad intra. Operatio ad extra est, cujus terminus transiit extra Deum, ut creatio, sanctificatio, & similes. Operatio ad intra est, cujus terminus manet intra Deum, ut processiones divinae. Inq. Processiones divinae sunt verae actiones, vel purae emanationes? R. sunt verae actiones intellectus, & voluntatis. Inq. Quot sunt processiones divinae? R. Duae tantum: nempe filii a Patre, & Spiritus sancti a Patre, & filio. Inq. Cur non sunt plures? R. Quia filius est terminus adequatus potentiae generativae, & Spiritus sanctus est terminus adequatus potentiae spirativae. Potentia generativa est intellectus divinus, potentia spirativa est voluntas divina; in Deo autem unus tantum est intellectus, & una sola voluntas.

117. Inq. Operationes ad extra fiunt ab una, vel tribus personis divinis? R. A tribus, quia virtus productiva ad extra est communis tribus personis. Unde ait Theologorum axiomata: *in operationibus ad extra, quidquid una Persona divina operatur, operatur & alia.* Nihilominus operationes propriae omnipotentiae, tribuuntur Patri; quae sunt Sapientiae, appropriantur filio, & quae amoris, Spiritui sancto, quia omnipotentia attribuitur Patri, sapientia filio, & amor Spiritui sancto.

118. Inq. Ubi est Deus? R. Ubique per essentiam, praesentiam, & potentiam. Per essentiam, dando esse omnibus rebus; per praesentiam, conspiciendo omnia, quia omnia sunt nuda, & aperta oculis ejus; per potentiam, gubernando.

bernando omnia. Non tantum sicut Rex in suo regno, qui per suos ministros gubernat, sed per seipsum inmediate suppositi ob suam immensitatem, quae omnia replet. Inq. Est Deus alio speciali modo in rebus? R. Utique, est enim speciali modo in justis per gratiam, in beatis per gloriam, & in damnatis per justitiam. Inq. Omnes creaturae sunt intra Deum? R. Ita, quia Deus est velut domus lucidissima, seu Palatium crystallinum, in quo omnes creaturae habitant, & continentur. Insuper talis est sua immensitas, quod si adessent alii plures mundi, & alii caeli, eodem modo eos replet. Sic intelligitur illud 3. Reg. 8. *caelum, & caeli caelorum te non capiunt.* Et aliae locutiones, quibus innuitur Deum esse intra omnia, supra omnia, extra omnia. Quoniam adeo infinita est immensitas Dei, ut sufficiat ad replendum alios mundos, & alios caelos, si existerent. Inq. Est Deus in spatiis imaginariis? R. Non, quia in nihilo nihil est; nec ibi quidquam causat, agit, conspicit, aut gubernat.

119. Inq. Ubi erat Deus, prius quam omnia creasset? R. In se ipso, adeo gloriosus, sicut nunc, quia nihil potest addi Deo, unde dicimus *Gloria Patri, & filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, hoc est ab aeterno, nunc & semper, & in saecula saeculorum amen.* Inq. Cur ergo creavit caelum, terram, caeteraque omnia? R. Quia est summe bonus, & ex sua bonitate creavit eos, non quia eis indigeret ad suam gloriam; hanc enim habet Deus, agnoscendo se, & amando se tres Personae divinae, complacendo sibi Pater in filio, Filius in Patre, Pater, & filius in Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in Patre, & filio; sed ut suam bonitatem communicaret etiam ad extra. Bonum enim est diffusivum sui. Sicut Sol, qui nobis luget, non quia nobis indigeat, sed quia ejus natura est diffusiva lucis. Tam lucidus esset Sol sine nobis, ac nobiscum, & licet nos, ut patet, laudemus ejus naturam, & lucem, nihil addimus ejus splendori. Ita ergo pater de Deo ejus authorem.

120. Inq. Quis est secundus articulus divinitatis? R. *Credere esse Patrem;* quod nos docet in Deo dari unam Personam,

quae est, & dicitur Pater, quia generat filium ex sua substantia, & natura. Inq. Quomodo illum generat? R. Pater, se intuens in sua essentia, velut in speculo, produxit imaginem sibi similem, cui communicavit suam naturam cum omnibus attributis, & perfectionibus; & haec imago perfectissima Patris est, & dicitur filius, quia procedit a Patre per generationem. Nam generatio est *origo viventis a vivente, a principio conjuncto, in similitudinem naturae ejusdem speciei.* Et ita procedit Filius a Patre. Error est dicere filium ab aeterno solum esse verbum Patris, filium vero a nativitate ex Virgine; error pariter est, quod ait Origenes, quia a D. Thoma appellatur fons Ariariorum, nempe filium metaphorice tantum esse verbum, quia propprissime est verbum, sicut est imago perfectissima, & filius Patris. Ita D. Th. 1. p. q. 34. art. 1.

121. Inq. Quid non communicat Pater filio? R. Id, quod non est communicabile, nempe Paternitas, innascibilitas, & esse principium Trinitatis sanctissimae, haec enim conveniunt Patri relative, seu personaliter, sicut filio esse filium, & generatum; & Spiritui sancto esse spiritum. Unde conveniunt Personis incommunicabiliter. Inq. Pater est senior filio? R. Minime, quia nulla Persona divina est prior altera tempore. Inq. Quomodo ergo pingitur pater in figura senis, & Spiritus sanctus in figura columbae? R. Quia ita apparuerunt Pater, & Spiritus sanctus aliquando, ut constat ex textu sacro: non quia habeant aliquam figuram. Deus enim nec habet corpus, nec figuram, quia est spiritus purus. Dum autem dicitur oculi Dei, digiti Dei, brachium, seu aures Dei, est loquutio metaphorica, significans Deum videre, audire, aut facere. Automorphite somniantur Deum habere caput, brachia, manus, pedes, & alia membra corporalia; sed hic error, ut valde crassus, & ridiculus se ipso corrumpit, & refutatur egregie a D. Thom. 1. p. q. 3. a. 1. Spiritus sanctus non debet pingi, praecipue seorsim, in figura humana, ut decernit Bened. XIV. in constit. incipiente: *Solicitudine.*

122. Inq. Quis est tertius articulus divinitatis? R. *Credere esse filium,* hoc est, dari in Deo aliam personam, quae est, &